

*Πόντου* <sup>μαρτυρ.</sup> *δισσὰς συγχωρούσας*

V. 123. seqq. Hanc orationem cum libris omnibus Iphigeniae dedimus. Tyrwhittus tamen et Musgravius choro tribuunt argumentis satis speciosis, quibus ipse olim inducebar. Contendunt enim, chorum rectius dici κληδούχου δούλαν, quam Iphigeniam, deinde Iphigeniae, quippe quae in templo habitaverit, (cf. v. 66.) non convenire illa, πρὸς σὰν αἰλὰν πόδα πέμπω. At prius argumentum iam labefactavit Marklandus citans Wesselingium Observ. I. 3. qui Dearum multas, immo ipsam quoque Dianam, κληδούχους dictas esse docet. Quod autem deae δούλαν sese appellat Iphigenia, similiter Ion in cognomine fabula v. 309. se Apollinis δοῦλον nuncupat, coll. ibid. v. 132. 182. In Troad. v. 450. Cassandra Ἀπόλλωνος λάτρην se dicit. Ipsam Iphigeniam infra v. 1121. Thoas templi πύλωρον vocat. Alterum argumentum quod attinet, domicilium quidem habebat Iphigenia templo contiguum, sed eam ob causam non semper in ipso templo versabatur. Videtur ab altera parte Iphigenia, ab altera Chorus templi atrium intrasse. Deinde vox εὐφαιμίτε sacerdoti multo magis convenit, quam ancillae, et quum huius terrae incolas appellat, proxime in animo habet ipsas has ancillas. Nam praeter has iam nemo aderat. Pari modo Ion templi ministros alloquitur v. 94. seqq. Porro voces πόδα παρθένιον v. 129. hanc orationem Choro prorsus abiudicant. Constat enim chorus ex mulieribus, quibus liberi tribuuntur infra v. 1041. et quae v. 1112. virgines se adhuc esse ipsae negant. Nec facile corrupta haberi potest vox παρθένιον, quum eadem laude Ion gloriatur v. 150. ὅσιος ἀπ' εὐνάς ὄν. Phoeniss. v. 845. Tiresias ad filiam: κλήρους τέ μοι φύλασσε παρθένω χειρί, coll. Hippol. 1006. Denique infra v. 208. Iphigenia, quum dicit δυσχόρτους οἶκους ναίω, respicere videtur ad v. 132. ubi χόρτων εὐδένδρων Εὐρώπαιαν commemoraverat.

V. 124. *δισσὰς συγχωρούσας πέτρας.* Recte